



**Zadanie 22. (40 pkt)**

**Dokonaj przekładu na język polski jednego z dwóch podanych niżej fragmentów dzieł autorów klasycznych.**

**Tekst nr 1**

C. I. Caesar, *Commentarii de bello Gallico*, I 26

Diutius cum sustinere nostrorum impetus non possent, alteri se, (...) in montem receperunt, alteri ad impedimenta et carros suos se contulerunt. Nam hoc toto proelio, cum ab hora septima ad vesperum pugnatum sit, adversum hostem videre nemo potuit. Ad multam noctem etiam ad impedimenta pugnatum est, propterea quod pro vallo carros obiecerant et e loco superiore in nostros venientes tela coiciebant et nonnulli inter carros rotasque mataras ac tragulas subiciebant nostrosque vulnerabant. Diu cum esset pugnatum, impedimentis castrisque nostri potiti sunt. Ibi Orgetorigis filia atque unus e filiis captus est. Ex eo proelio circiter hominum milia CXXX superfuerunt eaque tota nocte continenter ierunt. Nullam partem noctis itinere intermisso in fines Lingonum die quarto pervenerunt, cum et propter vulnera militum et propter sepulturam occisorum nostri triduum morati eos sequi non potuissent. Caesar ad Lingones litteras nuntiosque misit, ne eos frumento neve alia re iuarent.

*Alteri.....alteri – tu: Helwetowie ..... sprzymierzeńcy Helwetów.*

*Orgetorix, igis – naczelnik plemienia Helwetów.*

*Lingones, um – Lingonowie, szczep w Galii. Nie brali udziału w walce Gallów przeciw Cezarowi.*

*Helvetii, orum – jedno z głównych plemion celtyckich walczące z Cezarem.*

**Tekst nr 2**

M. T. Cicero, *Pro Archia poeta*, III 5

Nam ut primum ex pueris excessit Archias atque ab iis artibus, quibus aetas puerilis ad humanitatem informari solet, se ad scribendi studium contulit, primum Antiochiae – nam ibi natus est loco nobili, - celebri quondam urbe et copiosa atque eruditissimis hominibus liberalissimisque studiis affluentibus, celeriter antecellere omnibus ingenii gloria coepit. Post in ceteris Asiae partibus cunctaeque Graeciae sic eius adventus celebrabantur, ut famam ingenii exspectatio hominis, exspectationem ipsius adventus admiratioque superaret. Erat Italia tum plena Graecarum artium ac disciplinarum studiaque haec et in Latio vehementius tum colebantur quam nunc eisdem in oppidis et hic Romae propter tranquillitatem rei publicae non neglegebantur. Itaque hunc et Tarentini et (...) Neapolitani civitate ceterisque praemiis donaverunt, et omnes, qui aliquid de ingeniis poterant iudicare, cognitione atque hospitio dignum existimaverunt. Hac tanta celebritate famae cum esset iam absentibus notus, Romam venit Mario consule et Catulo.

*Archias, ae – Aulus Licinius Archias – Aulus Licyniusz Archiasz, poeta grecki II/I w. p.n.e.*

*Antiochia, ae – miasto w Azji Mniejszej.*

*Tarentinus, i, - mieszkaniec Tarentu, Tarentyjczyk.*

*Neapolitanus, i, - mieszkaniec Neapolu.*

*Caius Marius – Gajusz Mariusz, konsul w roku 102 p.n.e.*

*Quintus Lutatius Catulus – Kwintus Lutacjusz Katulus konsul w roku 102 p.n.e.*



**BRUDNOPIS**